

Apud Deum nota sit justitia mea : ego tamen dicam me peccatorem ; non quia sum, sed ne adrogantia odiosus inveniar. Dic hominibus quod es, dic Deo quod es. Quia si non dixeris Deo quod es, damnat Deus quod in te inveniet. Non vis ut ille damnet ? tu damna. Vis ut ille ignoscat ? tu agnosce, ut possis Deo dicere : « Averte faciem tuam a peccatis meis. » Dic illi etiam illa verba in ipso Psalmo : « Quoniam iniquitatem meam ego agnosco. »

*Quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis delicta nostra, et purget nos ex omni iniquitate. Quod si dixerimus quia non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.* Si dixeris : Non peccavi ; illum facis mendacem, cum te vis facere veracem. Unde fieri potest ut Deus mendax sit, et homo verax ; cum contradicat Scriptura : « Omnis homo mendax, Deus solus verax » ? Ergo Deus per seipsum verax, tu per Deum verax ; nam per te mendax.

7. Et ne forte impunitatem videretur dedisse peccatis, quia dixit : « Fidelis est et justus, qui mundet nos ab omni iniquitate » ; et dicerent jam sibi homines : Peccemus, securi faciamus quod volumus, purgat nos Christus, fidelis est et justus, purgat nos ab omni iniquitate : tollit tibi malam securitatem, et inserit utilem timorem. Male vis esse securus, sollicitus esto. Fidelis enim est et justus, ut dimittat nobis delicta nostra, si semper tibi displiceas, et muteris donec perficiaris. Ideo quid sequitur ? *Filioli mei, haec scribo vobis ut non peccetis.* Sed forte subrepat de vita humana peccatum : quid ergo fiet ? quid ? jam desperatio erit ? Audi : *Et si quis, inquit, peccaverit, advocatum habemus ad Patrem, Jesum Christum justum ;*

